



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

2. Quot sunt Sacramenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

TITULUS XVI.

De Sacramentis non reiteran-
dis.

§. I.

Quid sit Sacramentum.

1. *Varia acceptiones nominis Sacramenti.*
2. *Definitio Sacramenti.*
3. *Signum quid & quosuplex.*
4. *Quid nomine signi & gratia in definitione intel-
ligatur.*

Cum antea egerimus de Sacramento Ordinis, Confirmationis & Extremæ Uctionis, & inter Sacramenta quædam reiterari seu iterum conferri possint, quædam non; ideo nunc discipiendum, quænam sint iterabilia, & quæ non, præsertim ut sciatur, quænam sacra Uctio, de qua Titulo præcedenti, quæ in Sacramentis reperitur, sit iterabilis, vel non.

1. Pro faciliiori intelligentia sciendum, Sacramentum dici à Sacro, variisque modis accipi. Primo, ut significat pignus à litigantibus in loco sacro depositum. Varro 1. *de Lingua Lat* Secundo, ut significat iuramentum, divino testimonio aut in uocatione alicujus rei sacre confirmatum. Sic frequenter usurpatur in Jure, non modo Canonico, sed etiam Civili, ut in *Auth. Sacramenta puerum Cod. si adversus venditionem, l. Miles §. ignominiosa D. de re militari*: & apud scriptores tam gentiles quam Christianos. Tertio, ut significat idem, quod sacrum arcanum sic 1. *ad Timoth.* 3. Incarnatio vocatur *magnum pietatis Sacramentum*. Quarto, extenditur ad designanda occulta mysteria, licet non sint sacra sic *Apocalyp. si 17. res illæ occultæ, significatæ per bestiam & mulierem, vocantur Sacramentum bestia & mulieris*. Quinto, ut significat signum rei sacre: in qua significatione hic accipitur: non quidem ita generaliter, sed prout significat signum rei sacre, perfectè sacrantis ac initiantis hominem.

2. Unde definiti solet, esse invisibilis gratiæ visibilis forma, *can. Sacrificium 32. De consecrat.*

Distinct. 2. vel explicatiùs, esse invisibilis gratiæ visibile signum, ad nostram justificationem institutum, Catechismus Rom. De Sacramentis, in genere, cap. 1. nu. 3. in fine. Videatur Canon. mult. 84. circa medium 1. q. 1.

Pro cuius definitionibus intellectu faciliiori norandum, quod signum sit res, præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid à se faciens in cognitionem venire, *can. Signum de consecrat. dist. 2.* Sic ex vestigio alicujus, terræ aut nivis impresso, cognoscimus aliquem transivisse.

3. Est autem signum duplex, scilicet Naturale, quale est fumus respectu ignis; & Ex institutione, eaq; vel humana, ut hedera respectu vini; vel divina: & hoc rursus est duplex, aliud Speculativum, aliud Practicum. Speculativum dicitur, quod tantum significat, & nihil efficit, hoc pacto serpens æneus erat signum Christi, in erucem erigendi: & multa alia in lege Mosaica erant signa futurorum. Practicum dicitur, quod non solum significat, sed etiam efficit & operatur. Hujusmodi est ablutio in Baptismo, quæ significat & efficit ablutioem internam animæ à peccato.

4. In assignata igitur definitione intelligitur signum divinitus institutum practicum, insensibile aliquo sensu. Nomine autem Gratia intelligitur gratia sanctificans animam, & quidem perfectè, ut excludantur sanctificationes; quæ solum sunt dispositiones ad perfectam sanctitatem, quales sunt sanctificationes vasorum, consecrationes altarium, aquæ benedictæ, & similia.

§. II.

Quod sint Sacramenta.

1. *Sacramenta septem.*
2. *Eorum quædam necessaria ad salutem.*
3. *Quædam voluntaria.*

1. Sacramenta novæ legis sunt septem, à Christo instituta, nempe Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Uctio, Ordo, & Matrimonium Conc. Trid. Sess 7. *can. 1. de Sacramentis*. Conc. Florent. in *Instructioe Armeniorum*: quæ omnia crucis signaculo perficiuntur, *can. Numquid De consec. distinct. 5.* Et licet omnia necessaria sint ad statum universalem Ecclesiæ,